



D I A L O G V S
 QVI DICITVR TETIM,
 SEV DE HVMANIS
 C O N S I L I I S.

INTERLOCVTORES, TETIM, RAM.



V T I N A M , ô amice, collo-
 quis illis, quæ heri in cœna
 apud Charum habuimus,
 interfuisses: eum Min &
 Maamin valde & quasi pro
 fortunis omnibus contende-
 rent. Ego enim vtriq; eorû impar videbar vel
 iudicare vel v: eos inter se cõciliarem: reliqui
 autem omnes, tanquam de vita aut maxima
 quapiam alia re ageretur, silebant. RAM. At
 de quibus sermo hic erat quæso? TETIM.
 De qua profus non satis memini: sed vide-
 batur initium fuisse de tyranno quodam, qui
 multa piè instituit: sed neque nomen palàm
 referre audebat: contra de rege quodam
 optimo, qui tamen non pauca impiè admisit.
 RAM. At ego diuino, quinam fuerint. Rex
 ille fuit Ludouicus Gallorum, vndecimus eius
 nominis: tyrannus autem, Castrutius. TE-
 TIM. Diuina si certè existimo te latuisse sub
 mensa. Sed quomodo rescuisti? RAM. Omnia
 mihi narrauit * Verùm non de huiusmodi
 principibus loqui gratum est: demiorque il-
 los tam diu adeo suspectum traxisse sermo-
 nẽ. Sed Bacchus maiora facit ac potest. TET.
 Quid ergo tu censēs de illa cõtentione? RAM.
 Ego non satis noui quales fuerint vtriusque
 sermones, sed tutius puto huiusmodi silentio
 obtegere. TET. At si tu assuisses, quomodo
 sermonem instituisses? RAM. At si tu rex
 esses, quomodo subditos tractares? TET.
 Vtinam tam facilè mihi esset regnum obtri-
 nere, quàm administrare. RAM. Sed quid
 acturus esses? TET. Conuiuia ludosque cele-
 brarem: mitis in omnes, beneuolus in ami-
 cos, iustitiam pietatemque colerem. RAM.
 Rectè equidem, si posses hæc omnia. Sed quo-
 modo simul & iustus & mitis, & quomodo
 beneuolus in amicos esse posses, si iusticiam
 colere velles? TET. At vtinam tamen possem
 regnum adipisci, quàm facile esset mihi &
 multo maiora facere. RAM. Sed quomodo
 tandem? TET. Meis facultatibus atque opi-
 bus cunctis satisfacerem. RAM. Sed vnde
 sumpturus has opes? TET. Ex vestigalibus.
 RAM. Qualia & quanta esse velles? TET. Vt
 sufficerent impèse, atq; donationibus. RAM.
 At magna esse oporteret. TET. Quidni?
 RAM. Quomodo ergo beneuolus esse posses
 in amicos omnes, si graui vestigalia ex eis

exigeres? TET. At non illis solis, sed etiam
 ex aliis. RAM. At satis est te non in illos fu-
 turum beneuolus, à quibus exigeres. TET.
 At non ab his tantum exigerem, quantum
 darem. RAM. Vnde ergo residuum sumeres,
 quod dares? Tet. Ex aliis. RAM. Quomodo
 ergo iustitiam coleres, si ab his sumeres quod
 aliis dares? TET. At saltem pietatem cole-
 rem: & in iure dicendo iustus essem. RAM.
 Quomodo, si amicus cum incognito tibi li-
 tigaret, non velles aliquo modo amico patro-
 cinari, vt esses beneuolus illi? TET. Vellem, si
 possem. RAM. Quomodo ergo iustus esses?
 TET. In his tantum quæ essent mei arbitrij.
 Præterea adhortarer litigantem illum, vt ce-
 dere vellet aliquid: de compositione tracta-
 rem. RAM. Omnes hæc sunt iniustitiz partes.
 Ius, non persona spectanda est. Laudatur Græ-
 cus ille, qui preces filij quem diligebat, pro
 patre fonte surdus audiuit. TET. At, vt video,
 iustus esse non possem, essem tamen pius.
 RAM. Quid hæc iniusta pietas quæso? TET.
 Sed, si placet, non de me loquar. Subiiciam
 tyrannum aliquem ac regem ex antiquis, vt
 profus sermo noster inuidia ac suspitione ca-
 reat. RAM. Faciamus: sed quem vis? TETIM.
 Vespasianum audiui egregium fuisse princi-
 pem, & Titum etiam: Domitianum autem,
 tyrannum. Duos hos, si placet, pro exemplo,
 fratres subiiciamus. RAM. Rectè. TETIM.
 Agamus ergo de pietate, postquam Princeps
 & iustus & simul bonus esse non potest.
 RAM. Hoc non dico, sed perdifficile est. Ve-
 rùm quomodo pius esse poterit, si iniustus sit?
 TETIM. Modum video nullum, nisi vt cre-
 dat, se quæ agit iuste agere. RAM. Ita est: sed
 hoc non satisfacit. TET. Sed liberè loquaris.
 Ergo quomodo principes hi, velut Titus,
 multa perregerit impiè & iniuste, & tamen
 bonus princeps habitus sit? & rursus quomo-
 do Domitianus multa bene, cum esset tyran-
 nus? RAM. Ita est: sed decet ab initio rem,
 quemadmodum se habeat, exordiri. Principes
 omnes aut in philosophia exercitati sunt, at-
 que hi admodum pauci: aut naturali quadam
 prauitate mali atque impij: aut simplices &
 religiosi, qualem Vespasianum fuisse haud
 dubium est, Titum verisimile. Qui religiosi
 erant inferos & tartara & Elysios campos
 esse credebant: consultores idanimaduerten-
 tes,

tes, autoritate religionis seruata, illud idem consulebant, quod hominem impium solum deceret: hoc prætextu, quodd Imperij seruandi causa, sub cuius umbra tot infontes miserique atque impotentis tuti uiuerent, liceret omnia facere. Hi ergo, cum quodd religiosè aliqui uiuerent, tum quodd etiam in iudiciis aliisque rebus ad principem pertinentibus satis iustè agerent, boni principes habiti sunt: tamen multa patrantur quouis tyranno iniustiora atque crudeliora. Qui è consilio horum sunt, neque bonum, neque tutum putant, uelle quod ipsi sentiunt de humanis negociis, de Deo, de anima, principibus patefacere: uerum tantum quod expedit pro conseruatione regni: & aliqui his deteriores, ut gratiam principis demereantur, quæ nefanda sunt, tãquam pia sint consulunt. Ille ergo, se putat sic cum multis sceleratis factis piè uiuere. Eoque fit, ut huiusmodi principes maxima mala sine respectu committant: in paruis quibusdam superstitionis sint admodum: quoniam contra mandata legum esse uidentur. Ita sub utroque horum fratrum expilasse totam uenam prouinciam, infontes plurimos seruos occidisse crudeliter, nullum peccatum erat: at Deos suos non coluisse, seruum sedisse iuxta Augusti statuum, imaginem principis in lupanari secum habuisse, uel in latrina, accusasse pessimum Senatorem milleque dignum suppliciiis, nec potuisse plenè probare, capitale erat. Qui uerò philosophia imbuti uel ab obitu nullam putant esse animam, aut omnibus communem, pœnarumque ac meritorum expertem, hi iuxta sectæ suæ rationem uiuunt, plerumque satis boni. TET. Sed ô amice, dic quæso quid sentias de animorum nostrum natura? RAM. Certè anceps ualde sum: & cum ad iuuenens respicio, omnia ad immortalitatem adblatiantur: robur illorum, prudentia, alacritas, dignitas, sapientia, fortia facta: rursum cum cõseni, desperatioe quadam agor: quoniam omnia mecum, etiam mentem ipsam, consensere uideo, aded ut plerique repuerasce uideantur. Quod si in tam breui tempore pueris similes maiori ex parte fiant, quid speras futurum si in aliquot secula senectus extenderetur? Profectò homines muscis & uermibus fierent simillimi: amissa enim memoria, etiam proprii nominis, inde omnis sermonis obliuiscerentur. TET. Sed dic quæso, quid de hoc sentias? RAM. Fallantur. TET. Qui? RAM. Qui ob id existimant animos esse mortales: sed non est tempus nunc de hoc disputandi. TETIM. Audirem perlibenter. RAM. Dicam, si uis: sed omittam cœptam iam sermonem de humanis consiliis, si libet. TET. Nihil minus: sed expedi primum sermonem. RAM. Hac igitur cogitatione, cui è Philosophis & Medicis præcipui Hippocrates & Galenus, & quod magis mirum est, Theologi primarij, nec Christum nec Augustinum nec ueritatem secuti, dum Philosophos perbellè agunt, subscribere. Vnus enim inquit: Nisi Christus immortalitatem animi declarasset, quod ad naturalem rationem attinet, mortalem illum existimarem. Alter uerò ait: Aristoteles licet uerbis animum dixerit esse immortalem, ea tamen iecit fundamenta, per quæ illud mortalitas appareret. Subiicit quo illa,

& referte pudet: securi uidentur, nec piè, nec simpliciter, nec ob gloriam honestè uitam ducentes. Itaque omnia iam pessum sunt. TET. Sed quid alij? RAM. Omnes eodem morbo laborant: quæcunque enim principes sequuntur, eadem & populi, seu ob auctoritatem, seu ut illis blandiantur, seu quod sperent fortunam cum maioribus æquare, faciunt. TET. At possunt hi uel illi sic esse felices? RAM. Certè nõ: sed sufficit illis, ut reliqui ipsi sint infeliciores. TET. ô stultam opinionem: uerum quomodo uiuunt priuati? RAM. Et ipsi omnia ad spectem collocant: ceterum omnia aguntur Græca fide. TETIM. In quo ergo deterior fuit Tito Domitianus? RAM. Qui probi sunt, & religiosi, cum arbitrio aliorum, nec sibi imperantium, sed obedientium, nec idem sententium peccent, rariùs peccant, quam qui suo pro ingenio. Ita Domitianus eò peruenit sæuitiæ, dum humana contemnit, diuina non timet, ut Neronis tres superauerit. TET. Sed quænam uoluptates sunt principum? RAM. Odium, amorem, & uoluptatem explet: uiciscuntur quos oderunt, dicant quos amant, & uoluptatibus fruuntur. TET. Quæ uoluptates? RAM. Communia, lusus & alea, tum uenatio & aucupium. TET. Sed & feræ ludunt, etsi non alea, & uenanrur: at gregales conuiuuntur: lupi soli, quod sciam, ex his qui carnes edunt, gregatim incedunt, uisorum uel leonũ metu: itaque parum uita hæc, quod ad uoluptates attinet, à lupina differt. RAM. Vera dicitis. Sed possunt prodesse, atque obesse. Parum in hoc est, cum iniustè id fit: nam nemo tam securus esse potest horum mendacium adhortationibus, qui non à morte sibi aliquid metuat. Præterea offensiones illæ graues hand tunc sunt: & dum ultione iniuriam tueri uolunt, immensum numerum inimicorum pariunt. Itaque parum prodest plurimum posse, si non tantundem sapias. TET. uerum. Cui ergo pœnas non statim dant, aded immites & inconsulti? Domitianus enim plus regnauit quàm pater & frater simul. RAM. Sors & uerordia hominum plurimum potest: nam & priuati & nobiles, dum inter se inimicitias exercent, occasionem miluo prædandi utroque præbent. Itaque & hoc tyrannicum est uasamentum, discordias inter subditos serere, ut tutius grassentur. Habent & ministros, qui prætextu Iustitiæ aut pietatis, uotis perniciosi non solum principum (hoc enim forsitan esset tolerabile) sed potentiorum & perniciosissimorum adulatorum satisfaciant. Quot enim Tiberius, aut Nero, aut Domitianus (sed hic uolentior) sine Senatus illius corruptissimi auctoritate damnauerunt: penè nullos. Itaque duo optima & diuina bona concessa mortalibus lenas tyrannidis effecere. Deinde credere possunt, non esse Deos, nec uicisci hanc tantam illorum propriam iniuriam: & animos cum corporibus interire. Hoc enim, dum sapiens nimis ac catus uideri uult, philosophorum maximus docuit. Deinde proclamatur ubique desertam omnibus bonis, ac ab eo spoliatam uirtutem. Quanto satis fuisse uel de naturalibus rebus aliter statuere, uel unum quemque suo arbitrio ac uiribus relinquere? ne tertia improbis principibus & tyrannidũ lena philosophia accederet. TET. Sed quis

ergo bonus erit princeps:RAM. Bonus princeps pluribus b:nefacit, paucis malè: malus autem pluribus malefacit, paucis autem bene. TET. Ac sic, qui optimos perdet viros (qui certè pauci sunt semper) malos autem euehet, hic bonus erit princeps:at ego oppositum antea existimabam.RAM.Et rectè quidem: nam qui bonos perdit, is necessariò multos perdit: omnibus enim qui media natura sunt, qui plurimi sunt, infestus est: malis etiam plerisque cogitur esse immitis, tum specie quadam iustitiæ, tum metu potentiæ, tum etiam ob priuata odia. At bonus bonos euehendo, mediocres omnes bonos facit, nec malis omnibus infestus est: sed his tantùm, qui nec exemplo, nec metu, nec leuibus pœnis corriguntur? itaque tyrannus etiã non videatur ferro sæuire in plurimos plurimis tamen grauis est, tributis pauperes exhauriens, vt paucos ditare possit, & gurgiti illi voluptatũ immenso satisfacere. At non par est, imò deterius, innoxios fame frigoreque ac laboribus intolerandis interficere, & gladio. Et qui gladio sæuiunt, saltem filiiis parcunt: at hi filios coram parentibus inopia perimunt. TET. Maxima audio: atque ego nec Cyrus esse vellem, aut Alexander: nec ex purpuratis illis, qui ex eorum consilio essent. Sed dic amabò, fuitne quisquam princeps bonus? forsan, vt audio, Augustus, aut M. Antoninus Philosophus: hos enim intellexi optimos fuisse principes.RAM. Certè fuit aliquis: sed neuter istorum: quini-mo hi ex his fuere, qui pluribus malefecerunt, vt paucis gratificarentur. Atque horum vterque vltimum improbitatis experimentum dedit, in eligendo successore: cum primus improbitati stulticiam coniunxerit: priuignum hæredem, virum sanguinarium & improbissimum, nepti, vxori optimi viri Germanici ac pronepotibus præferendo. Secundus verò, quòd cum filium pessimum esse intelligeret, alium ad imperium non elegerit. Solent priuati boni viri, filios nepotes lurcones & nequam exhæredare, vbi nemini iniuria fit, aut periculum est, si hæreditatem accipiat: & bonus Imperator nepharium hæredem relinquet? valeant ergo Bruti illi, & Manlij, Cassij, Scauri, & Damatrina, Talantiæque, ac mater Pausaniæ, omnes Spartanz mulieres, & Clotharius Gallorum rex, & Antonius Venerus Veneti Senatus princeps, qui filios vnica ex scelere peremerunt, quanquam viuientibus illis salua posset esse Respub. sic M. Antonius, vt orbem perderet flagitiosissimum filium imperij reliquit hæredem. Ergo vnus Alexander Severus princeps bonus fuit: alium ex antiquis noui neminem. TET. Quid ille agebat, vt talis esse potuerit? aut quid omnino agere debet bonus princeps, vt tutus etiam sit? RAM. Facile est principi, si velit, bonũ esse: tutiorque multo erit improbo principe. Iustitiam & pietatem colat: quod vt faciat, præponat bonos malis. Bonos hoc vno argumento deprehendet, qui pecuniarum auidi non sunt. Huiusmodi viros inter Phratríos, non tamen multos, reperies. Qui enim facile contemnunt pecunias, facile omnia flagitia vitare possunt. Bis verò in singulis septem diebus audiat causas subditorum, quartam horæ partem singulis impendendo: Pridie autè omnes suos mo-

neat aduersarios. Quadraginta audiet vno die, qua die audit: vt octuaginta sint singulis septè diebus: in anno autem, supra quatuor millia. Antequam verò aduersarij vocentur, sorte ducantur hi quadraginta: nisi si qui pro fontibus quibus capitis damnatio immineat, supplicare velint: hi enim inter illos qui audiri volunt, primi audiendi sunt. Post audiantur, qui quinquies à sorte exciderint: post, ad quadraginta vsque sorte ducti qui fuerint. Nec quisquam admittatur, nisi peractam fuerit iudicium ab ordinario iudice: aut cum vltra terminos iudici præstitutos adhuc lis penderet. Semper verò vel iudex puniatur, si errauerit: vel supplicio vltimo puniatur, si iniuste ob præmium iudicari: aut laudetur, si rectè sententiam tulerit. Atque si, qui appellauerit, non omnino sit pauperrimus, nec iudex deliquerit, iudici persoluat ille reditum vnus anni totum. Porro ipse princeps, cum viri sapientis & optimi amicissimique consilio de re cognoscat, non (vt nostro æuo) ad eos releget qui à secretis sunt. Crimina autem omnia eorum qui suæ fidei creditos perdunt pecunia vel muneribus, vt iudices, tutores, causidicos, & procuratores, medicos vtriusque generis, pharmacopolas, molitores, pistores, sacerdotes, non sine exquisito mortis genere perdat, vt principis aut Reipub. proditores. Sed alios omnes etiam viarum obfessores, homicidas, fures, adulterinæ monetæ fabricatores, vel ad triremes (si grauia sint crimina omnino, vel sæpius ad vomitum, vt dici solet, redierint) aut ad excidendos montes damnentur, vbi pane & aqua pascantur, quantum factis sit. Et si viuente patre aut matre hæc fiant, mitius aliquantò agatur, si dilata ob id solùm mors fuerit. Neque enim par est, parentes qui non peccarunt, in filiorum suppliciis affligi: & sic etiam patria pluribus hominibus abundabit, & ditior fiet illorum laboribus. At quale emolumentum belli tempore, seu epibatas, seu operarios legere voluerimus: ad vrbium expugnationem, ferenda onera, ducendas machinas, duratos laboribus homines, ob pœnam, vitæ contemptores, tunc etiam adeptæ libertatis beneficio lætos & gratos? Hocque institutum ne putes nostrum esse commentum: sequenti Reges quondam Ægyptiorum, vt Dioscorus Siculus refert, qui iniuncti fuere ac felicissimi. Sic Christum opere non verbis fallacibus, exprimemus. Nunc sub Christianis principibus crudelitas potius quam barbara exerceatur. Adulteria tamen grauius punienda: an non vbertas, triticum, villi precio, nullo vtili, sed pro censibus & redditibus exigatur: vini & carniū amplum, exiguum salis, oleorum nullum, piscium perexiguum: tam paucis præceptis optimus princeps instituatur. Et tamen multo feliciorum atque liberiorum aget vitam, quàm nunc reges: longèque tutius regnum administrabit. Sed malos abigere contentus non sit: insidiabuntur enim illi, & leues maledictis corruptent populorum animos: sed illos ad lapides, adulatorum autem vt veros proditores morte læua damnabit. TET. Placent hæc, sed demiror cur tam diu ista latuerint omnes: aut si non latuerant, cur nemo hanc viam ingressus sit? RAM. Hæc institutio tam aduersa est purpuratis ac potentibus quam

quam salutaris Principibus. Si enim ita agatur, vnus erit princeps felix: ceteri propriis opibus cogentur esse contenti, nec iniuria quenquam afficere poterunt. At hoc illis mortis non placet: ob id principes primo, deinde etiam seipos perdunt. Quod si aliter principibus cõsulerent, & illorum animas & vitam, regnum, seiposque seruari, innoxiique obirent: & pro paucis malè beatis, plures plura felicitate gauderent. Vides quàm parum nunc regna in eadem familia perseverant? TET. Intelligo. Sed cum duo proposuisses, alterum caput, scilicet de pietate, reliquisti. RAM. Nunc agam de illa: quanquam vt audiuisti, seruando parentibus filios, mitiusque agendo in cunctos, præterquam proditores, etiam pietatis partem absoluisse videor. TET. At ego non partem, sed totum negocium explicari volo: postquam ob id, de immortalitate animi, què cupiebam, sermone audire prætermisit. RAM. Dicam. Pietas in Deum atque patriam ac parentes dirigitur. De patria satis dictum est, cum nullum maius illi præstari possit obsequium iustitia, clementia, & auxilio in miseros. De parentibus, vix est Princeps qui patrem habeat: non enim principatum obtinet. De matre, forsan plus tribuunt quàm pars sit mulieri, ambitiosæ, luxuriosæ, impotenti, ac illius plerumque sordidis ministris: quamobrem non est vt quenquam ad huius pietatis genus adhorter. Transferantur hæc adhortationes ad priuatos: in quibus plus est debiti erga parentes, & in illis minus delicti, & maior necessitas beneficij. De principibus autem cum loquamur, de pietate erga Deum dicere satis superat. Sicut. Quamobrem ab initio rem repetamus. Si Deorum munere cuncta se recepisse cognouerit Princeps, si reddendam rationem post mortem de administratione intellexerit, Pium ipsum, & maxime cum iam iustus sit, facile fuerit efficere. TET. Hui, quodd (vt in prouerbio dici solet) pro vno duo lucratus sum: nam & de animi immortalitate, quæ sperabam, optabamque, iam iam audiam. RAM. Principio illud animaduertendum, quodd multa sunt, imò (vt verius dicam) omnia diuina nobis incredibilia, & omnino obscura, ac minus intellecta videntur. Quis enim potuit vnquam deprehendere, quoniam pacto cæli moueantur: nam quæ Ptolemæus statuit, experimentis satis faciunt absurda tamen sunt: quæ verò Auerroës & Fracastoreus, minime absurda: sed talia, vt nugis proxima videantur. Quis, quomodo anima vel mens nobis assistat, intelligit: aut vt cælum moueat, cum in eo non sit, sed potius cælum in mente, & nos cum vita ipsa? Quis cogitatione apprehendit, eandem animam tam presentem esse Antipodibus, quàm nobis, cum illa sine magnitudine sit, nos verò tam longè distemus ab illis? necesse est enim dicere, animam aut mentem quæ corpore aded distat, tanquam nulla sit in loco, nec intervallo aliquo distincta sit, simul (vt ita dicam) tangere atque amplecti. Sic & presentia atque præterita figuræque ambir, modò assistit, modò non, ipsa omnis expert temporis. Itaque mens nostra vbi hominem exierit, vt affecta ad iustitiam fuerit, ita gaudet aut angitur parum aut multum, vt non solum tantis & deliciis experia-

tur, sed vnusquisque pro qualitate improbitatis ac virtutis torqueatur aut gaudeat. Quodd si enim tormentum hoc aut gaudium paruum esse putas, cogita quàm multi diuites, potentes, iuuenes, incolumes, minima ex iniuria aded torqueantur, vt cum Oratore illo verè dicere possint, vitam sibi acerbam putare: nã eorum qui ob dolorem mortui sint, qui insanierint, qui sibi manum etiam intulerint, non desunt exempla. Quare nil mirum est ibi summam esse constitutam pœnam, vbi dum viuere etiam summam constituerint voluptatem. Ita qui minus peccarunt, qui moderatius appetinere opes, honores, vindictam iniuriarum, aut inferre iniurias: hi etiam moderatius & mitius torquentur. Sed quod maius est hac in re, cum anima sit expert æui, vt dixi, nihilominus & ipsa quandoque affici desinit: vt ibi sint differentie temporis, vbi tempus nullum inuenitur. Et hoc est quod dixi, huiusmodi excedere mentis humanæ cogitationem. Id facile esset in nobis deprehendere, dum à curis quiescimus. Sed forsan idem concedi postulare videremur, quod demonstrare propositum est. An forsan cum aliquo corporeo vehiculo omnes, aut aliquæ coniunctæ sunt? Sed omitamus futura, presentia prosequamur. Existimo vitam Principum valde infelicem esse, aut illos omnino neminem amare. TET. Cur ita? RAM. Nam si amant, quos amare se ostendunt, cum præcipue eis tot sint alumni, necesse est ex alumniis singulis annis ferme, ex amicis singulis mensibus aliquem perire. At quàm molesta sit mors charissimorum, satis cuique perspicuum est. Si cor ergo est principibus, vt esse existimo, nemo illis infelicior est tot amicorum continuo interitu. Sed hoc nihil esse velim. Quid, cum iussu suo, in prælio, pro illius salute, tot charissimi occurrunt? TET. Certè vera narras: sed hi forsan nihil curant. Verùm dic amabò, postquam aded mihi videris harum rerum etiam plus quàm speraueram gnarus, deducta spe compensationis ab obitu, licetne omnia tuò mala agere, periculo deducto legum vt in potentibus sic vt in quibuscunq; præster malè agere, ac pro arbitrio viuere? RAM. Magna atque ardua questio: beneque fecisset (quod sapius soleo dicere) Aristoteles, hoc docendo: namque si virtus commodum nullum asserit, cur sectanda est? Quid illius encomium, & quorsum nam tendit, ab Aristotele tam disertè celebratum? Sed existimo prudentiam primùm cuique necessariam, & vilem ad bene beateque viuendum. Sed fieri haud potest vt quis viuat beate, nisi etiam securiter. Post prudentiam summa laus est fortitudinis: non formidare mortem vt necessariam, sed vitare vt fortitiam, quantum licet: ferre quoque labores vt necessarios, vel vt corporis salubritati utiles, aliaque aduersa: quæ etiam si ægè tuleris, nihiloteius beatior viues. Ita etiam assuescendum laboribus, & patientiæ quæ lucrum asferre potest. TET. Illud perinde est ac si dicas, dimidium fortitudinis habere. RAM. Rectè ais. Sed comitatis tanto plus, se sequi mensuram scilicet: hæc enim nulla iactura & amicos & famam parit. TET. Nulla virtutem eam omnes morunt à supremo ad infimam, vt hæc. Sic videris iam tres mensuras impleuisse virtutis.

turis. Estne alia? RAM. Temperantia & abstinentia: quantum satis est ad sanitatem tuendam: in reliquis ne cura rem hanc: viuere enim volupe, viuere est: si post obitum nulla spes vitæ alterius supersit. TETIM. Sufficiunt hæc? RAM. Est quiddam aliud: vt sis gratus in beneficos, ob vtilitatem: in tuos & alumnos, ne si malè eis contingat, dolore distorqueris, Cauenda enim tristitia est, vt felicitati contraria. Ergo tuos non amabis, sed quantum potes illis beneficias: sic tamen, ne beneficiū in eos tibi fiat maleficiū. TET. Estne quid aliud? RAM. Non vtique si desperes futura. TET. Tam paucis constat humana felicitas? RAM. Imò apud quosdam etiam paucioribus. TET. Qui possit minui, non video. Sed iustitia, pietate, liberalitate, misericordia, fide, innocentia, studiis bonarum literarum, nihil ergo opus erit? RAM. Imò omnes dānosæ erunt, præter eruditionem: sed hæc virtus non est: reliquis non opus est nisi in suos. TET. Sed quid adimi potest ex illis quinque? RAM. Duo etiam improbi adimunt, scilicet relationem gratiæ, & suorum curam: quanquam hæc inter illas quinque non numerata sit. TET. ô corda viperarum, & mores lucianos, quos ferunt etiam propriam sobolem deuorare! Sed quid adegit ergo Aristotelem, vt virtutes adeò ardentè laudaret: non illas quinque tantum, sed ex æquo ferme omnes: postquam hic cultus virtutum plerisque semper cesserit infelicitè, neque nunc solum: aut nouum est illud Poëticum: Omne in præcipiti vitium stetit.

Sed & suis temporibus deteriores multo erant, quàm nunc sint. Quid ergo est causæ, fuitve, vt suos clientes, laborumque suorum studiosos, tam perfidè falleret? RAM. Dicam, quid sentiam: (tametsi quod dixisti de temporibus suis, non admiram facile: sed existimem maiori in precio fuisse non solum eruditionem, cuius minor copia erat, sed & virtutem: nam quis audeat, vt ille tum, Diuæ alicuius solentia sacra concubina celebrare, etsi princeps sit, quemadmodum ille fecit) vir primùm fuit ambitiosus admodum, & gloriæ cupidus: ob id virtutem celebrauit, vt non solum pius, sed etiam præstans haberetur, ac vbique de illius sententia sermo esset, plerisque admirantibus vel hominis sententiam, vel paradoxum. Deinde ipse prædiues, non tantum diues erat: laborabo vt ostendam, quod luce clarius esse potest. Diuitibus autem virtus conuenit, saltem ob tres causas. Prima, quòd vitiis opus habemus vt ditemur: namque ad id nil eis commodius: at diuiti per scelera minus cõuenit, quàm per mercaturam ditari, etiamsi totus sit Epicureus: quanquam, vt dixi homines nostra ætate deteriores sint, quàm qui tunc erant: & quanquam diuites non desinunt rapinis augere, quod breui totum simul relinquendum est: ita multo minus principibus. Secunda causa est, vt laudem consequantur, vnde iacturam non metuunt. Tertia, quàm optimè norunt potentes ac principes, vt sic viuendo trifariam securiores sint, & opinione probitatis ac pietatis, vt curæ Diis esse videantur: & vt minus odio sint hominibus ac contemptui: & quòd cæteri exemplo illorum sic viuentes, minus ad vindicandum iniurias, aut vltro inferendas erunt procliuës. Accedit,

quòd Aristoteli forsan hoc incertum fuit, aut animæ post mortem præmia aut pœnas consequerentur. Credidit certè, vt reor, non consequi: sed non adeò firmiter, vt quidam opinatur: sed addubitaui, vt existimo, egregiè. Credo etiam ab illo multa de hoc tradita, quæ perire. Sed & illud ad hoc induxit, quòd huiusmodi bonum esset commune. Et namini dubium esset, si non omnes dico, sed potentiores solum, ne dicam maior pars hominum, viuere destinaret secundum virtutem, quin omnes commodius viuerent, etiam his qui nunc suo arbitrio viuunt, quanquam sunt opulentissimi. Ad simpliciter igitur bonum, non quorundam, respexit Philosophus. Addo aliam causam: quòd vt dixi iam, magna pars harum virtutum & improbiis est necessaria ad beatam vitam: in reliqua parte tantum est voluptatis in bene agendo etiam pauperibus, tantum doloris in vitio ac scelere, si quis (gratia exempli) ob auaritiam è tuis pereat, vt plerique horum improborum despondentes animum moriuntur: cum probis vel in pestilentissima fortuna id vix accidit. Forsan & id animaduertit vir acutus, quòd animus flagitiis imbutus, etiamsi specie felicitior propter exteriora videatur: est tamen infelicitior calamitosa proba, cuius animus integer est à scelere: nam videmus vulneratos & acriter laceratos grauius longè perfetre plumeos puluinos, quàm sanum compedes. Aristoteles autem ad veram, non fictam felicitatem respexit. Forsan & alias ille habuit rationes, & firmiores: sed mihi modò hæc solum succurrunt. TET. At mihi satis hæc esse videntur, vt iam non demirer. Saltem cauendum existimo ab his sceleribus omnibus, vel quæ alios nimium torquent, aut nobis paruo sunt vsui, etiamsi quis peccare velit. RAM. Ita existimo rectum esse, & hoc ad minus voluisse Aristotelem. TET. Sed neque id obseruant hac tempestate homines: sed velut cacodæmonibus (ita enim fertur) nihil tam suauè & iucundum, quàm alios etiam immerentes discruciare. RAM. O homines nomine solum Christianos, vita autem idololatricis ac Mahomedicis (nam de Hebræis non dicam, quos assidua mala fregerunt) ac viperis sæuiores ac crudeliores! Meministi cum Henricus Rex Anglorum Bononiam Neustriz oppugnaret, ipsa media die iubens per præcipitia & rupes ed ascendere vbi nullus esset accessus, cecidèrè tot millia hominum, nec obtinuit tamen, sed deditione accepit, puto altera die. Quam voluptatem capere poterat, cum tot amicos, non cæcos, sed (vt ita dicam) præcipitatos à se aspiceret? TETIM. Ferina omaino corda. RAM. Et tamen inter reges sui seculi splendore virtutum, amoreque eruditionis enituit. Quid puras agitare alios, qui eo sunt inferiores? Deinde potes illorum inuidere sorti? Dispeream, ni malim esse custos pecorum, quàm princeps. TET. Sed quid Turcarum reges, quos tu clementia videris nostris præponere? RAM. Nihil minus Christianis peccat: quia hi qua parte Christiani sunt, aliquid sani habent, illi furiunt. Verùm infania illorum nostros, vt sapiant, non efficit. TET. At dicunt aliter seruari regna non posse. RAM. Hic tota excusatio: sed si ita esset, præstaret (vt dixi) reges illis qui sunt non esse.

At non ita est: sed facilius longè seruantur, si quod donant adulatoribus, si quod surripiant improbi ministri, in milites egregios insumerent. Industria, virtute, pecunia, non cædibus suorum, bella vincuntur. Sed neque Cæsar, qui militibus suis ad eòd amicus fuit, illos, amabat, quos ob occupandam tyrannidem morti exponebat: at quorsum tanta cædes? quis nunc superest ex eius familia? quàm breui vsque ad selem (vt dici solet) consumpta est? Imperium in alienos peruenit. Patria oppressa, inde euerfa, facta est ludibrium gentium: nam quæ nunc paret Pontifici, tota ex aduenis constat, nihil antiquum habet. Ille Anglus Rex vix toto quadriennio ab illa inelyta strage supervixit, mortuus aqua intercutere tam graui ter tulit eam mortem, vt imideret his qui in acie iam dudum perierant. Vrbs illa nec toto biennio regi Gallorum, paucis pecuniis, nec decima parte earum quas ille vt obtineret insumpserat, per vxoris fratrem prodicione infantis nepotis restituta est. Vnde etiã capite multatus. Hunc finem omnia hæc immoderata desideria, cum cædibus amicorum, obtinere volunt: quod virtute & continentia, sapientiaque facilius esset occupare. Horum omnium malorum causa est, auaritia ministrorum. TET. Sed iam redeas ad nostros, Titum atque Domitianum. Hic quamvis tyrannus, pulcherrimam tulit tamen legem, ne mares castrarentur. Vnde etiam mirum in modum à Martiale extollitur. RAM. Pulchra coniugatio: author vterque ipsum factum, etsi egregium esset, infame reddit: Martialis, nequissimus assentator: Domitianus, tyrannus crudelissimus, quam legem humano generi vtilem ferre potuit? TET. Sed quid de re ipsa censet? castrarine mares ac foeminas licet? Et si licet, conducit? RAM. Ad libidinem castrabantur pueri, qui mos etiam apud Turcas adhuc viget. Et testatur Martialis hanc causam in suo Epigrammate. Hoc non detestor, quòd non sufficerem tanto flagitio damnando coniungere tria simul grauissima scelera: concubitum præter naturam, atque ei miserum illum meretricis loco alluere: crudelitatem cum vitæ summo discrimine: & spem immortalitatis stirpis, etiam leporibus concessam, tollere. At quoniam in vtroque sexu fidelissimi custodes euadunt, detecoraque domus auferunt, si contingat habere, laudo. Solos ergo morti damnatos ob immane flagitium castrari permitterem: & ni lex prohiberet, castrari possent empti ad hoc ex aliena lege Mauri: ita tamen, vt parentes scirent ad hoc ipsum emi. TET. At nulli venderent. RAM. Imò facilius filios quàm pecora vendunt. Nec magnum puto flagitium, illos spe posteritatis priuare, qui tam impij sunt, & infani. TET. Sed & mulieres possunt castrari? RAM. Cur non sed tamen maiore longè periculo: si tamen adsit ars, vsusque propè nullo. Sunt tamen qui credant longo vsu viticis mares, & periclymeni foeminas, eunuchas fieri. TET. Quotidie dico aliquid, vt nunquam perire velim. RAM. Imò, etiamsi nihil disceres. TET. Sed redeas quæso ad institutum sermonem. RAM. Diuinum esse existimant regnum, quod fortuitis casibus distribuitur. Sed postquam videmus eos qui regna

acquirunt, non esse segnes: qui segnes sunt, plerumque regna amittere: non existimo fortuitam esse prorsus regnorum possessionem, nec etiam diuinam, sed præmium esse virtutis humanæ. Dico humanæ, non diuinæ: nam virtus illa quam inertes hi philosophi non solum iactant, sed venditant, humani generis exitium est: tamen maximè, vt dixi, quod propter ambitionem animos mortales aut saltem non distributos affirmant, deinde volunt aduersus tot commoda & illecebras vitiorum pugnare! TET. O insanum genus, & planè perditum. RAM. Sic est: sed sunt quædam vitia principum, quæ non tam citò perniciosa sunt, quamvis successu non longo & ipsa regnum adimant: velut crudelitas, & libido, atque stulticia. Præter hæc quatuor nulla sunt exitiosa, quamvis mala mortalibus ac subditis. TET. Quomodo? RAM. Velut lenitudo, auaritia, iracundia. Sed miraberis quod dicam: deteriores (dicebat Hieronymus Cardanus) probis sunt principes, nimis mansueti, quam nimis sæui. TET. Quid dicam? quidve audio? RAM. Ille iratus, & forsan meritis, erat: vixerat sub Antonio Leua, nil mali passus, vel boni: quamuis viro acerrimo: inde sub Cardinali Caracio, viro optimo: sub Alphonso Daualo satis feliciter, à quo etiam donatus fuerat: sed & apud illum, quod mitis esset, cœpit inuidia laborare, non tamen nocuit. Pòt optime sub Ferrando Gonzaga, viro asperissimo, sed omnis virtutis & bonorum fautori: sub Cardinali Tridentino, viro & ipso iracundo, sed virtutum & egregiorum virorum cultori: sub Ioanne Tigarolo, Duce etiam (vt vocant) Albæ: ab his nil boni consecutus, nil mali expertus, ob temporis breuitatem: quanquam ab ipsis nihil timendum: virtute enim insigni vterque præditus: cum ecce venit Suesæ Princeps, eruditionis non expertus, eruditorum amas, se cum ille dicebat: Quid si cum his tam bene, qui literarum studiis addicti non erant: cum hoc tam liberali, magnanimo & satis erudito principe, mansuetissimoque? non decepit illum (vt aiebat) iudicium, sed euentus: nam & eruditus erat, & pecunia donauit, & mitis, si quis alius, & comes, & mansuetus, benignus: deinde fortis, magnanimus, splendidus, supra omnem expectationem: verum casu quodam ob lenitudinem nullo sub principe infelior fuit, amisso optimæ spei adulescente filio. TET. Sed quomodo ille tot aduersa fert? RAM. Equissimum animo: nam reliqua dolorem acerbissimum filij potius distrahant, quam augeant, præter duo. TET. Hoc saltem habet commune cum egregiis viris, Anaxagora, Socrate, Aristotele, Anaxarcho, Zenone Eleate, Æsopo fabulatore, Demosthene, Cicerone, minore Africano, Miltiade, Themistocle, torque aliis: sed hic mihi acerbitate casu ac multitudine alios omnes superauit. Magna res est spontaneum exilium, quod etiam sibi maior Africanus imperauit. Verum non solum quos pro nomine, neque pro titulo librorum satis edidit de Vtilitate capitula ex aduersis, egisse visus est. RAM. Hoc ego illi obieci, cum quereretur. TET. Quid respondit? RAM. Nihil, nisi non potuisse, & impeditum fuisse, quem admodum & Socratem. TET. Quid hoc de Socrate? RAM. Non potui

peram

peram adiectum, sed historiam vno verbo significasse. TET. Quam? RAM. Vis vt dicam? credo illi Genium esse comitem, qui serò illi se prodidit, antea per somnia & strepitus monere solitum: nam quid maius? sine vilo medicamento liberatus est hernia intestinorum in latere dextro: quæ si ei non superuenisset ab obitu filij, statim eò discessurus videbatur, unde forsitan multa mala & magna processissent: liberatus tamen, ab hoc proposito se recepit: liberatus etiam ab vrigine vtiæ: tot tantaque ei mira in vita acciderunt, vt suspicari cogar & ipse, qui illi intimus sum, Genium ei esse, & magnum & potentem & rarum, vt non sit suarum actionum dominus. Sed quæ cupit, non habet: quæ habet, non concupierit, nedum vt sperarit: ille tamen hoc ab-

horret: sed cum cogitat Deo omnia parere, acquiescit. TET. Sed cuius naturæ? ferunt enim quosdam esse Saturnios, alios Iouios, atque ita de alijs. RAM. Suspiciatur esse Venerereum, Saturno Mercurioque mistum. TET. Tales omnes misere viuunt, & pereunt: quamvis quorundam magnum sit nomen. RAM. Hoc nescio, cum neminem nouerim præter hunc, & illius patrem, ac Socratem, qui huiusmodi Geniorum familiaritate usus fuerit. TET. At pater quomodo obiit? RAM. Honestè, & ex senio: sed multo antea eum Genius ille reliquerat. Sed de his nescio: hoc vnum scio, bonis viris ac sinceris nullum periculosiorem esse Genium, Principum consuetudine, & patria, vbi odij & gratia res agatur.

F I N I S.



DIALOGVS